

ob id correptus a patre fuit. At ubi narrat se a parentibus etiam adorandum, ibi rei indignitate motus pater, increpavit ejus puerilem audaciam, quasi diceret. Cave ne unquam hoc tibi in mentem, mi puer, veniat: trade potius oblivioni visiones istas, ut ait Philo, libro de Josepho. Male cedit parentibus æque ac filiis tam inordinatum imperium. Andronicus junior, Michaelis filius, avo Andronico seniori ita charus fuit juvenculus, ut ne noctu quidem illius absentiam ferre posset. Adolescentiam egressus, libidini habenas laxavit, et avo parce sumptum præbente, æs alienum ingens contraxit, tandemque per conjuratos avum imperio deturbavit, Gregoras, lib. VIII. Ingratus scilicet oculus; hic enim ab aliena matre nutritus et præ cæteris pullis amatus utpote grandior, post ubi adolevit, ipsam matrem devorat, Aldrov. libro V. ornith. cap. XVII.

V. Nonne sæpissime contigit, homines fieri impatientes ob paupertatem, contemptum, opprobria, adversarios, morbos, afflictiones; ita ut irascantur, insaniant, desperare velint? *At non est servus major domino suo.* Nonne hæc omnia Christus Dominus noster sustinuit? Et hoc potissimum tendit sermo Christi, ut ipsius exemplo hæc omnia toleremus. Non fuit aliquando memor hujus sermonis S. Petrus martyr Dominicanæ familiæ, visæ cum hoc erant aliquando tres cælo lapsæ virgines in cubiculo loquentes. Delatus ergo est ad superiorem, quod nescio quas mulieres in cellam admisisset. Id cum Petrus non negaret, et magnum se peccatorem fassus, cælestes hospites silentio tegetet, ad Esinum cœnobium relegatus est. Ibi cum nocte quadam in templo coram Crucifixi imagine suum tristis se-

cum dedecus animo agitans, amice Christo conqueretur: *Quare, bone Jesu permittis ut tanta ignominia servus tuus innocens afficiatur?* Christum audivit de cruce respondentem: *Et ego, quid feci, ut tantis onerarer opprobriis, et morte turpissima condemnarer? Ex me discæ opprobria et ignominiam patienter tolerare.* Refert Doultreman. in pædag. christ. p. I. cap. VIII. § III. Memor e contra fuit S. Martinus, qui cum inter suos discipulos haberet unum Bricium nomine, qui ipsi sancto sæpe insultabat, cæli suspicem et fanaticum appellabat, gestaque ejus carpebat; Martinus tamen patienter omnia ferebat, dicens: *Christus Judam toleravit in suo collegio et mensa: cur ego non tolerem Bricium?* quasi diceret: *Non est servus major suo domino,* Martinus Christo, Sulpit. in ejus vita. Ac ne putetis hoc sanctorum tantum et religiosorum esse, audite quid homo sæcularis egerit, Lambertus consul Harlemensis a tumultuantibus Calvinistis, quod Romanæ Ecclesiæ auctoritatem defenderet, in vincula conjectus, et tandem patibulo adjudicatus. Id enim cum a longe intueretur: *Quid, inquit, eximescimus lignum? Etenim si olim Dominum gloriæ crucifixerunt, quid nobis ejus servis expectandum? Anne major dominus servo suo?* Refert p. Opmerus; in martyrol. Holland. ms. Denique, hujus verbi Christi memores apostoli Dominum suum per varia martyria secuti, lapidati sunt, secti sunt, crucifixi, excoriati, contus et fustibus contusi sunt, quia: *Non est servus major domino suo.* Hujus ergo verbi simus et nos memores, et conformemur nos Domino nostro in Ecclesia militante, ut conformes ei simus in triumphante.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

EVANGELIUM. MATTH. V.

In illo tempore, videns Jesus turbas, ascendit in montem: et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus, et aperiens os suum, docebat, eos, dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum: beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram: beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur: beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur: beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur: beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: beati pacifici, quoniam filii Dei vocabantur: beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam; quoniam ipsorum est regnum cælorum: beati estis cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me: gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.

CONCIONES.

- I. Octo gradus beatitudinis.
- II. Unde colligatur cælestis gloriæ magnitudo.
- III. Gaudia beatorum.
- IV. De gloria sanctorum, quam in terris habent.
- V. Sancti cur honorandi.
- VI. Quid debeamus sanctis imprimis Ecclesiarum patronis.
- VII. Desiderium cælestis patriæ accenditur.
- VIII. Immundi homines qui cælo excluduntur.
- IX. Mystera.

CONCIONES AUCTARIL.

- I. Octo beatitudines distribuuntur in varios.
- II. Merces beatorum in cælis quanta.
- III. Quales cæli cives.
- IV. Octo beatitudines totidem signa prædestinationis.
- V. Fructus hujus festi.

CONCIO I.

OCTO GRADUS SCALE COELESTIS, PER QUAM AD SANTITATEM ET BEATITUDINEM ASCENDITUR.

- I. Beati pauperes. — II. Beati mites. — III. Beati qui lugent. — IV. Beati qui esuriunt. — V. Beati misericordes. — VI. Beati mundo corde. — VII. Beati pacifici. — VIII. Beati qui persecutionem, etc.

THEMA.

Beati pauperes spiritu, etc. Matth. V.

Genes. XXVIII. vidit Jacob in somnis scalam stantem super terram et cacumen illius tangens cælum, angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalæ dicentem sibi: *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui et Deus Isaac: terram, in qua dormis, tibi dabo et semini tuo, etc. Scala hæc, inquit, Ter-*

tullianus, in fine. l. III. contra Marcionem, *est via, qua justi ascensiones in corde suo disponunt in cælum, idque insinuat Spiritus sanctus, Sap. X. ubi de hoc Jacobo et hac scala ait: Hæc profugum ira fratris justum deduxit per vias rectas et ostendit illi regnum Dei.* Gradus hujus scalæ virtutes sunt, per quas homines de terra ad cælum, de creaturis ad creatorem ascendunt, quas in hodierno evangelio proposuit Dominus. Latera hujus scalæ quibus nituntur et compaginantur virtutes, sunt fides et spes: per illam firmissime creditur, quidquid Christus de his virtutibus earumque præmiis edixit: per hanc speratur adimpletio earumdem promissionum. Angeli ascendentes et descendentes in ministerium missi sunt propter eos, qui hereditatem capiunt salutis, ut eos per varia media adjuvent et promoveant in via cæli, ne labantur, impingant, subsistant, decidant: sed eos deducant, illis consulant et in omnibus gressibus eos

excitent, dæmonesque eis insidiantes compescant. Deus scalæ innixus Christus est, magister, exemplar et præmiator omnium sanctorum, qui verbo et exemplo suo, nos omnes ad ascensum hujus scalæ vocat et præmiis propositis allicit: nolentes vero minis terret adeoque dextra palmam protendit, sinistra gladium intentat et væ minatur, uti Luc. VI. facit post recensitas beatitudines. Id quod nunc videbimus.

I. Templum Hierosolymitanum, quod Ezechieli ostendebatur in visione, Ezech. XL. octo gradus habuit. Totidem gradus ponit Christus in scala perfectionis evangelicæ, quæ ducit ad templum cæli et vitam æternam. Primus, qui nos incipit a terra elevare est paupertas spiritus, cujus munus est inordinatam divitiarum cupiditatem et dignitatum hujus mundi tamentem appetitionem mortificare: *Beati pauperes spiritu*, inquit. Tales autem sunt non qui ex necessitate pauperes sunt, ut mendicæ; nec qui ob vanam gloriam, uti Diogenes; nec qui philosophandi gratia, uti Crates divitias spernunt et abjiciunt; sed qui propter regnum cælorum acquirendum et ut Christam sequi possint, pauperes sunt voluntarie. Hujus paupertatis et primi gradus sunt quidam quasi graduli. Primus, est spiritus et corde temporalibus opibus et honoribus renuntiare, inordinatos ad eos affectus exuendo et ad eos reipsa relinquentes, quando ad Dei voluntatem faciendam id fuerit necessarium, nos offerendo: secundus, reipsa abjicere hæc onera et impedimenta, ut Deo expeditius serviamus. tertius, hæc non oblivisci tantum sed adversari ut stercora cum apostolo, tamquam villissima et periculosa. Porro ad primum gradulum omnes obligantur, quicumque ad apicem scalæ, beatitudinem videlicet, venire cupiunt. Hoc vero si cui difficile videtur; aspiciat is Christum scalæ huic innixum, et primo exemplo præeuntem. Elegit enim matrem pauperem, pauperem patriam, pauperem porticum, in qua nasceretur, pauperulum præsepium, in quo reclineretur: in juventute pauperulus vivebat, elemosynis sustentabatur, alienis utebatur ædibus, pauperule vestiebatur, pauperes habuit discipulos: in cruce moriens non habebat ubi caput reclinaret: mortuus non ubi sepeliretur; nisi in alieno tumulo. Denique, omnibus scholam suam ingressuris, hoc quasi prologium in januis præfixit: *Omnis ex vobis, qui non renuntiat* (saltem affectu scilicet) *omnibus, quæ possidet, non potest esse meus discipulus.*

Aspiciat secundo, manu dextera præmium porrigentem: *Beati*, inquit, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Regnum hoc partim datur in præsentem, quia justî perfruuntur

pace interna et gaudio Spiritus s. Unde dicitur ad Rom. XI. *Regnum cælorum non est esca et potus, sed justitia, pax, gaudium in spiritu.* Habent item arrham regni illius promissi: partim dabitur in futuro et reipsa. Quis autem non eligat ad tempus esse pauper ut regnare in cælo possit semper.

Quod si hæc necdum movent aliquem, aspiciat tertio, sinistram minas et væ intentantem iis, qui paupertatem spiritus adversantes, divitias amant. *Væ*, inquit, *vobis divitibus, qui habebitis consolationem vestram*, quasi dicit: *Væ vobis*, quia cum epulone recipitis bona in vita vestra, postea autem cruciabitur et nec guttam quidem consolationis a Deo accipietis.

II. Gradus est mansuetudo, cujus est primo, iras animique perturbationes cohibere in animo, in vultu et corporis motibus, tranquillitate, conservata. Secundo, erga omnes exhibere humanitatem et affabilitatem, nullo verbo injurioso aut ingrato, nec turbata voce aut contentione, quæ turbare alios possit, prolata. Tertio, non modo non ulcisci injurias aut malum pro malo non reddere, sed nec violentia injuriosa resistere injurianti; ferre potius patienter injurias, paratumque esse ad ferenda plura, injuriantem excusare et Deum pro illo precari. Quæ virtus cuius in hoc mundo necessaria etiam est, utpote inter tot insidias et persecutiones inimicorum.

Porro aspiciamus ad Christum scalæ innixum, et videbimus primo, ejus exemplum. Ipse enim dixit, Matth. XI. *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* De eo etiam prædixit Isaias, c. XLII. *Non erit tristis neque turbulentus: non clamabit nec audietur vox ejus foris; calamus quassatus non confringet et linum fumigans non extinguet.* Potius videlicet fumum illum naribus suis excipiet, patienter feret. Eidem testimonium dat Sanctus Petrus, I. Pet. II. dicens: *Cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur non comminabatur; tradebat autem judicanti se injuste.* Hanc vero mansuetudinem præcipue exhibuit in passione et cruce sua, ubi sicut agnus coram tondente se obmutuit, ita ut ipse judex miraretur vehementer; latro et centurio propterea in eum crederent. Videbimus secundo, præmium ab eo propositum: *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram.* Et quidem juxta glossam, possidebunt terram, quam gerimus, quam terimus, quam quærimus. Terra quam gerimus, cor et passiones sunt, quibus dominantur mites velut domini passionum suarum, juxta id Luc. X. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Terram, quam terimus, obtinent mites, quia omnium hominum voluntates ad sui amorem trahunt, adeoque humanorum cordium ter-

ram possident, juxta id Ecclesiastici III. *Fili in mansuetudine opera tua perferce et super hominum gloriam diligere.* Hinc sæpe evehuntur ad imperia, uti David, I. Reg. XXIV. quod prædixit ei Saul, ob ejus mansuetudinem. Terram, quam quærimus viventium, merito etiam possidebunt, quia dignum est ut mitibus, qui omnibus se calcandos præbuerunt, detur etiam calcandum cælum: nec enim minus est calcari hominem, quam calcari cælum. Videbimus tertio, væ in manu ejus sinistra: *Væ illis, qui in via Cain abierunt*, ait Judas, in sua epistola, quasi diceret: *Væ illis*, qui ad vindictam proni sunt, instar Cain, nec parcere norunt fratribus suis, quia ad Cain ibunt.

III. Gradus est luctus seu fletus, cujus primus actus est ludicrum risum et ineptam lætitiæ cohibere: secundus, deslere propria peccata, cum Davide, Petro, Magdalena: tertius, deslere etiam aliena hominum peccata tum ob Dei injuriam quæ illi irrogatur, tum ob imminentem eis damnationem, et hoc cum Samuele deplorante casum et perditionem Saulis, cum Christo deplorante impænitentiam et excidium Jerosolymæ: quartus, deslere exilii hujus miseriam et prolongationem, absentiam patriæ cum Davide: *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est:* et cum Paulo: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? et iterum cum Davide: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus? Ps. XIV.*

Nunc vide exemplum Christi qui nonquam quidem ridere, sæpius autem lacrymari visus est, ut S. Basilius notat, regul. XVII. in præsepio, super Lazarum, super Jerusalem, in cruce super impænitentes.

Secundo, vide præmium promissum: *Beati lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Consolabuntur partim hic, quia in ipsis suis lacrymis consolationem invenient divinam et judicium quoddam, sive quod exilium eorum brevi finiendum sit, sicuti David qui dixit: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte:* et S. Augustinus, qui dicebat, lib. IX. confess. cap. VI. *Currebant lacrymæ et bene mihi erat cum eis.* Partim ibi, ubi absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, ibi enim sunt res innumeræ, quæ summe consolantur: consolantur ipsa clara Dei visio et humanitas Christi, præsentia Deiparæ, societas angelorum, apostolorum, martyrum, etc. ubi alter alterum consolatur, securitas loci, æternitas illius status, pax conscientie, etc.

Hoc si tibi sat non est, audi quid dicat Christus, mundi amatoribus perperam letantibus, Luc. VIII. *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis et flevitis.* Luctus ille æternus erit et irremediabilis

omnique solatio carens. Quis non præligat modicum hic lutum, ut perennem illum effugiat, et æternum in cælo gaudeat?

IV. Gradus est, esurire et sitire. Cujus actus est primo, esurire et sitire, panem et potum corporalem, nam et de hoc loquitur, Luc. VI. ubi ait Dominus: *Beati qui esuritis et sititis*, id est, qui mei causa esuriam et sitim patimini, exuti et spoliati bonis vestris. Secundus, esurire et sitire veram justitiam, quæ in perfecta divinorum mandatorum observatione consistit; ut unicuique quod suum est, detur, Deo quod est Dei; proximo quod proximi. Tertius, esurire majorem et majorem semper justitiam seu incrementum ejus: *Ut justus justificetur adhuc*, Apoc. ult. Quartus, desiderare ut hæc ipsa justitia sit in mundo, et omnes eam assequi ac conservare studeant.

Hæc si molesta putas, aspice Christum nostri causa esurientem et sitientem, dum circumiret oppida et castella: aspice sitientem in cruce, et felle potatum: vide etiam quam esurierit et sitierit nostram justitiam atque salutem, qui aliquando ex itinere fatigatus esuriens et sitiens sedit sic supra fontem, et tamen interim dum occasio daretur Samaritanam justificandi, omnis cibi oblitus est, et offerentibus panes discipulis respondit: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me*, Joan. IV. vide quam sitierat nostram redemptionem, qui dixit: *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur?* Luc. XII.

Aspice consequens præmium, quia: *Saturabuntur.* Primo, corporaliter, quia: *Non vidi justum derelictum*, ait David, *nec semen ejus quærens panem.* Secundo, spiritualiter per internam gratiæ consolationem et spiritus jucunditatem, quia nihil terreni concupiscunt; sed Deo impleti et gloriæ pignore, omnia se habere confidunt expectantes semper, etsi sine fastidio, beatam illam spem. Tertio, satiabuntur plene cum apparuerit gloria Dei, Ps. XVI.

Quod si contrarium tenere viam velis, audi quid dicat Dominus, Luc. VI. *Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis.* Saturos intelligit, qui bonis temporalibus, deliciis et voluptatibus usque ad satietatem se ingurgitant, et ex hoc rerum spiritualium et cælestium obliviscantur, earumque nauseam capiunt, juxta id Prov. XXVII. *Anima saturata calcabit favum.* Hos suo tempore puniet fame, si non panis, certe spirituali, verb Dei, gratiæ et sacramentorum ac denique bonorum omnium in inferno cum epulone illo, Luc. XVI.

V. Gradus est misericordiæ, quæ compassionis visceribus subvenit pro viribus alienis miseris

atque indigentis, quas veluti proprias aspicit, idque primo, operibus misericordiae corporalibus: secundo, spiritualibus: tertio, corde simul et opere, corde commiserando et opere succurrendo, atque hoc ex sola charitate, tam erga inimicos quam erga amicos. Quod si facultas tibi desit opem afferendi, saltem cupias afferre, petasque a Deo et hominibus ut afferant.

Fecit hoc totum Christus in supremo gradu, qui: *Pertransiit benefaciendo et sanando omnes, oppressos a diabolo*, ut ait S. Petrus, Act. X. qui etiam tanti fecit misericordiam, ut sacrificium et Dei cultum postponi ei voluerit, Matth. IX. *Misericordiam volo, inquit, et non sacrificium.*

Premium proponitur, reciproca misericordia a Deo exhibenda misericordibus: quae tanto major illa, quam exhibuerimus nos, quanto nobis major est Deus. Dabit enim non tam pro modulo meritorum nostrorum quam pro divina majestate et magnificentia, mensuram bonam confertam et coagitatam in sinum nostrum, nec tollet unam alteramve tantum a nobis miseriam, sed omnem omnino: *Quoniam ibi non erit amplius neque luctus, neque clamor, neque dolor, etc.* quia Dei perfecta sunt opera. Itaque si pavisti quem panibus: pascaris in divitiis Dei: potasti quem aqua: de torrente voluptatis ejus potaberis: vestiisti: induet te immortalitate: collegisti hospitem: collegiseris in regno ejus.

Si premium nos non movet, moveant saltem minae quas intentat immiseri cordibus: *Vae vobis*, ait Dominus, Matth. XXIII. *qui comeditis domos viduarum*: et: *Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam*, ait Jacobus, c. II. id quod expertus est servus ille nequam, qui cum conseruo suo patientiam habere noluit, ideoque traditus est tortoribus, Matth. XVIII.

VI. Gradus, cordis munditia, qua quis primo, omne peccatum lethale perhorrescit, et paratus est omnia potius agere aut pati, quam vel unicum committere. Secundo, cavet etiam venialia, et si quidem commissa sint, instar mundae columbae, mox ab iis nidulum conscientiae suae per crebram confessionem repurget: tertio, sanctis insuper cogitationibus, verbis et operibus cordis sui habitaculum veluti tapetibus et picturis adornat, ut ita Deo beneplacitum sit habitare in illo.

Exemplar hujus munditiae exactissimum fuit Christus: *In quo dolus non erat*, I. Petr. II. et: *Princeps hujus saeculi non habuit in eo quidquam*, Joa. XIV. nec poterat quis arguere eum de peccato, Joan. VIII.

Premium vero, Dei conspectus, quae beatitudo essentialis et fons omnium honorum, quibus

beati in caelis perfunduntur: *Quid est, quod non vident*, ait Sanctus Gregorius, lib. IV. dialog. *qui videntem omnia vident?* Hoc itaque unicum petiit olim Moyses tam instanter: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam*, Exod. XXXIII. hoc solum petiit David, Psal. LXXIX. *Ostende faciem tuam et salvi erimus*: hoc unicum petierunt apostoli per Philippum: *Ostende nobis Patrem et sufficit nobis*, Joan. XIV. sed quid illis dicitur, qui corde non sunt mundo? *Vae vobis*, ait Dominus, Matth. XXIII. *quia mundatis, quod de foris est calicis et paropsidis, intus autem pleni estis rapina et immunditia: Phariseae caecae, munda prius, quod intus est calicis et paropsidis, ut fiat id, quod de foris est mundum.*

VII. Gradus, est studium pacis, primo, cum proximis omnibus pacem, concordiam et charitatis vinculum conservando, nemini dando offensionem, etc.

Secundo, pacificare etiam alios, et curare ut dissidentes inter se componantur.

Tertio, pacificare animas cum Deo, propriam imprimis: deinde, etiam aliorum juvando eas et reducendo ad obsequium creatoris sui.

Hanc pacem nobis Christus attulit e caelo, velut rex pacificus et princeps pacis: hanc toties precatus est discipulis; hanc ipse semper tenuit, ut praedixit Isaias, c. XLII. *Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris: calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet.*

Premium pacificorum est, ut speciali quodam modo sint filii Dei, tum in hac vita, cum singulariter a Deo diligentur et custodientur: tum in altera, cum singulari gloria condecorabuntur, quod similes fuerint principi pacis, qui sanguine suo pacificavit, quae in caelo sunt et quae in terra.

Pacem vero turbantibus: *Vae*, dicit apostolus Judas, in sua epistola, *vae illis, in qui contradictione Core perierunt*, id est, qui Core contradictionem et rebellionem imitati pereunt.

VIII. Pati persecutionem propter justitiam et primo, quidem patienter eam et hilari animo tolerando: secundo, seipsum si opus fuerit ad ipsam mortem offerendo, conservandae causa sanctitatis et charitatis: tertio, gaudere insuper in tribulationibus et sibi gratulari, quod sic Christo similior et corona gloriae dignior fiat. Et hic ad supremum scalae culmen pervenitur, et ad perfectam imitationem Christi crucifixi, qui scalae huic innititur.

Eo vocat nos exemplum Christi qui gravissimas pertulit persecutiones propter promulgationem sanctissimae suae legis, et reprehensionem

CONCIO II.

UNDE COLLIGATUR COELESTIS GLORIAE MAGNITUDO.

I. Ex Scriptura. — II. Ex Christi meritis. — III. Ex sanctorum testimonio. — IV. Ex caelorum decore. — V. Ex mundi hujus decore. — VI. Ex reproborum prosperitate. — VII. Ex inferni horrore.

THEMA.

Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis. Matth. V.

Matthaei XIII. comparavit Christus Dominus regnum caelorum pretiosae margaritae, quam diu quaesitam, et tandem inventam negotiator abiens et vendens omnia, quae habuit, emit. Nos per Dei gratiam invenimus hanc margaritam, cum per fidei susceptionem haeredes caeli facti sumus: quae tanti pretii est, ut merito et libenter omnibus nostris venditis eam emere debeamus. Sed heu! multi non agnoscunt pretium illius; multi enim dicunt, ait David, Ps. IV. *Quis ostendit nobis bona?* quasi dicerent: Quis ascendit in caelum? Quis inde ad nos descendit? Multa nobis in caelo bona gaudiaque promittit sacra Scriptura, multa loquuntur patres et concionatores, multa Christi apostolus Paulus cum ait, I. Cor. VIII. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se*, similiter Isaias, c. LXIV. Sed unde norunt ipsi? Vel saltem unde arguere possumus, vera esse, quae dicunt? Audiamus.

I. Edicit nobis Spiritus s. in Scriptura sacra: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei*, inquit David, Psal. LXXXVI. dixit de ea imprimis Deus ad Abraham, Gen. XV. *Ego protector tuus sum, et merces magna nimis*: dixit David: *Nimis honorati sunt amici tui Deus*: dixit Isaias, cap. LXIV. *Oculus non vidit Deus absque te, quae praeparasti expectantibus te*: similiter S. Paulus, I. Cor. II. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum: nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum.* Quid dicis, o apostole? Quam longe pertingit oculus! Videre enim astra potest, caelorum ac stellarum magnitudinem et distantiam metiri: videt gloriam imperatoris et regum, eorum palatia sumptuosissima, armamentaria, hortos amoenissimos, equos praestantissimos, aulicos plurimos et nobilissimos, satellitum pompam, ornatum, etc. et tunc forte dicit homo, si talis est sanctorum in caelo gloria, sufficit. Sed nihil sunt haec respectu eorum: *Quae praeparavit Deus diligentibus se*, quia haec: *Oculus non vidit, etc.* Longius se extendit auris, quia percipit etiam, quae ob distantiam

vitiorum, etc. *Unde si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus?* Matth. X.

Eo vocat nos et premium patientibus promissum, quod est regnum caelorum; vero partim datur in praesenti vita per internum gaudium spiritus, quo in vinculis suis miro modo recreantur ss. martyres, ut tormenta praeter illo contemnerent; partim in futura: unde Dominus subdit: *Beati estis cum male dixerint vobis homines, et dixerint omne malum adversum Vos mentientes propter me: gaudete et exultate quoniam merces vestra copiosa est in caelis.*

Contra vero: *Vae cum benedixerint vobis omnes homines*, ait Dominus, Luc. VI.

Haec est igitur scala, per quam ascendendum est ad caelum et ascenderunt quotquot sunt in caelo. Per hanc ascendere servum Dei Dominicum vidit prior Brixiensis, uti refert S. Antonius agens de morte Sancti Dominici. Vidit enim hiatum in caelo, per quem submittebantur duae candidissimae scalae, quarum unam tenebat B. Virgo, alteram Christus. In fine utriusque scalae sedes posita erat, et unus ei insidens similis fratri praedicatoris (is erat S. Dominicus) quasi vadens versus caelum. Has Christus et Mater ejus rursus una cum sede et sedente trahebant; et tunc hiatus clausus est. Haec item scala est, quam ascendentes et descendentes vidit S. Romualdus sui ordinis monachos, ut in ejus vita. Per eandem ascendere Sanctum Benedictum viderunt duo ejus fratres; unus in cella, alter procul existens; viderunt namque viam lucidam palliis stratam, atque innumeris coruscantem lampadibus a cella Sancti Benedicti versus orientem ad caelum tendentem, audieruntque vocem: *Haec est via qua dilectus Dei Benedictus caelum ascendit*, ut in ejus vita. Per hanc denique sancti omnes quotquot sunt in caelo, ascendere debuerunt, apostoli martyres, confessores, pontifices, monachi, sacerdotes, virgines, viduae, conjuges: ita ut si vel in uno gradu imegissent, nunquam eo pervenisset: superest nunc ut nos illos strenue subsequamur, etc.

cerni nequeunt, uti mores omnis generis nationum, divitias Indorum, omnis generis peregrinos flores et herbas, pisces in mari abditos, monstra, feras; quæ geruntur in tota orbe, quæ ab ortu mundi in omnibus regnis gesta sunt, quædam etiam futura prædicta a prophetis: percipit lætissima nuntia, suavissimos concentus, omnis generis instrumenta, familiarissima colloquia: sed nihil etiam hoc, respectu beatitudinis; quia: *Auris non audivit, etc.* Longissime se extendit intellectus, quia attingit etiam possibile et fingere sibi potest, quæ nunquam fuerunt nec erunt. Fingat ergo sibi mundum isto longo præstantiorem, in quo montes omnes aurei, lapides omnes smaragdini, arbores omnes cedrinæ, fluvii crystallini, mensæ omnes deliciis refertæ sint, etc. qualem fingimus utopiam, nihil tamen erit; quia: *In cor hominis non ascendit.* Quæ omnia passim confirmavit Christus, cum promisit nobis regnum cælorum, gaudium Domini, convivium perpetuum, etc. cumque gloriam sui corporis in monte Thabor ostendit, confirmavit denique S. Joannes, in Apoc. XXI.

II. Commonstrat nobis Christus, qui tantum pretium expendit pro comparando nobis regnum cælorum. Non enim sufficiebat ullum finitum pretium, infinitum requirebatur; idcirco Dei Filius de cælo in terram venit, ut pretium hoc, quod solus poterat, exsolveret. Et obtulit id infinitum non una ratione: infinitum ratione offerentis, quia erat Dei Filius, unde omnia ejus opera infinitum habuere valorem; infinitum ratione rei oblatæ, quia corpus et sanguinem adeoque vitam suam, qua, ut homo, pretiosius nihil habebat. An tu igitur parvum existimans thesaurum illum, quem ut ditissimus aliquis in agro absconditum emat, tradit omnia sua pro illo? An tu vilem putas eam margaritam, pro qua comparanda opulentissimus mercator navigat ad extremos Indos, et pro ea dat omnia bona sua? Jam vero, Matth. XIII. ait Dominus regnum cælorum esse thesaurum illum, et margaritam illam pretiosam, quam ut nobis emeret, ipse de cælo in terram venit, et vendidit omnia sua, id est, nulli pepercit, labori, fatigationi, prædicationi, vitæ ipsi, et emit eam. Hæc igitur putabimus facturum Dominum, si non prorsus pretiosissima esset gloria, quam tam caro pretio nobis emit? Num vitam suam pretiosissimam daturum, si non beatissima esset cælitum vita, pro qua suam dedit? Accedit quod merita Christi ex se sufficiant pro omnibus etiam iis, qui damnantur; ergo quanto paucioribus applicantur, tanto copiosius applicabuntur, et dabitur illis mensura confera et coagitata, id est, præmium ultra condignum.

III. Sancti id confirmant multipliciter: primo, quia gloriam illam, jam prius a Christo emptam caro pretio, rursus, quantumvis Christo amicissimi, emere debuerunt. Quanti ejus amici fuerunt apostoli, quos non amicos tantum sed et fratres suos appellavit? Sed caro nihilominus vendidit eis gloriam: lapidati sunt, secti sunt, crucifixi sunt, excoriati sunt, et ex illis charissimus Christo Joannes in ferventi oleo positus fuit. Magnus Dei amicus Job, simplex, rectus ac timens Deum, et tamen adeo crudeliter a dæmone vexatus, antequam acciperet suum præmium. Nemo sanctior: *Inter natos mulierum Joanne Baptista*, et tamen is præter spontaneas castigationes, solitudinis, locustarum et hirsutæ pellis, caput etiam suum pro gloria dare debuit. Quid? Ipsa Dei Genitrix, præter alias gravissimas afflictiones gladio doloris transigi in corde debuit, et omnes filii dolores etiam ipsa exhausti. Quare si amicissimis suis gloriam suam tam caro vendidit Deus, quis dubitet eam omni pretio majorem esse? *Numquid enim iniquitas apud Deum? Absit*, inquit apostolus, ad Rom. IX. Ratio igitur est, quia: *Non sunt condignæ passionis hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*, ut ait idem ad Rom. VIII. Cum igitur pro gloria sua tanta fecerint sancti, quantam esse illam oportebit? Jacob dum servivit quatuordecim annis pro Rachele: *Videbantur illi pauci dies*, Gen. XXIX. quia nimirum pulcherrima erat Rachel: sic videbatur sanctis parum imo nihil esse quicquid patiebantur pro cælesti gloria: ideo apostolus tribulationes suas plurimas et gravissimas: *Momentaneum et leve tribulationis* appellat. Quod si nobis multa et gravia videntur, quæ Deus a nobis petit pro gloriæ bravi uti fidem, spem et charitatem, præceptorum observationem; hoc ipso intelligere debemus ingens donum esse gloriam, pro qua munificentissimus Deus adeo certari velit: ita ut nihilominus: *Vita æterna sit gratia*, Rom. VI. et nos, *servi inutiles*. Secundo, qui sæpe in hac vita sensere ingentia gaudia a Deo sibi immissa, quæ omnia mundi gaudia superabant. S. Paulus etiam in afflictione dicebat: *Reletus sum consolatione, superabundo gaudio*: S. Epirem tanto gaudio in orationibus perfundebatur ut magnitudinem illius ferre non posset et exclamaret: *Domine mi, recede paululum a me impetum enim gaudiorum tuorum tolerare nequeo*: alio tempore dicebat idem: *Domine siste parumper gratiarum tuarum impetum*: S. Xaverius quandoque cælesti consolatione perfusus, exclamabat: *Satis est Domine, satis est*: alii etiam in maximis tormentis maxima sentiebant gaudia: S. Agatha ad supplicium lætissime quasi a convivium pergebat:

S. Tiburtius super ardentis prunas ambulans dicebat, videri se sibi ambulare super rosas. Quod si igitur tale ac tantum fuit gaudium quibusdam sanctis adhuc in exilio degentibus concessum, quale erit gaudium patriæ? Cant. II. dicebat sponsa: *Introduxit me rex in cellam vinariam*: et ecce ex odore tantum statim facta ebria clamabat: *Fulcite me floribus, stipate me malis, amore languo*. Quo loco sanctos illos representavit, qui viventes etiam odorem cælestium honorum senserunt. Quod si ergo ex odore tantum illorum adeo inebriati fuerunt, ut animis deficerent et amore languescerent; quid putatis esse cælestia vina gestare, bibere, inebriari, sicut dicit David: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*? Si specularum Deum in ænigmate, adeo recreati sunt, quid erit videre illum: *Facie ad faciem*? Tertio, quia etiam in terris ingenti fulgent gloria, dum plurima edunt miracula; dum eorum reliquiæ tam honorifice asservantur, et a pontificibus et regibus honorantur; dum templa ad eorum memoriam eriguntur; dum festi dies illis instituuntur; dum ab omnibus invocantur et coluntur; dum sæpe innumeros habent vitæ suæ æmulatores et sectatores; dum eorum nomina sibi non plebei tantum, sed reges etiam assumunt, etc. Quod si in terris tantam sortiuntur gloriam, quæ et qualis erit illa cælestis gloria, quæ tam speciosis titulis promissa est a Deo? Si in terris, ubi non sunt, adeo mirificantur et honorantur, quomodo honorabuntur in cælis ubi sunt? Si ita in exilio, quomodo in patria? Quarto, quia aliqui sancti apparuerunt, et gloriæ illius magnitudinem aliquatenus revelarunt, cujusmodi exempla passim obvia sunt legentibus.

IV. *Cæli enarrant gloriam Dei et sanctorum*. Et primo, cæli decor et pulchritudo, quæ apparet nobis; ea siquidem facile superat omnium sublimitarium rerum pulchritudinem. Ut merito Sanctus Ignatius Loiola, cum cælum aspiciebat dicere soleret: *Heu quam sordet tellus cum cælum aspicio!* Et tamen haud dubium, quin convexa pars cælorum, quæque superos respicit (saltem cæli empyrei) longe sit formosior quam concava, quæ apparet vobis. Ut enim regis palatium interiorius, qua regem spectat, longe magis ornatum est aulaeis, peristomatibus, picturis, etc. quam extra, qua spectat civitatem; sic credere fas est de cælis. Secundo, ejus vastitas: ostendunt enim mathematici (Christoph. Clavius, in sphaera et alii) totum terræ globum respectu cæli punctum tantum esse: rursus totum mundum cum cælis intra firmamentum contentis respectu cæli empyrei, minus adhuc punctum esse, quam sit terra respectu firmamenti. Ostendunt solem terra

majorem esse centies sexagies, stellas primæ magnitudinis numero decem septem, terra majores esse centies et septies: secundæ magnitudinis num. quadraginta quinque, nonagies: tertie magnitudinis num. ducentæ octo, septuagies et bis: quartæ magnitudinis num. ducentæ sexaginta quatuor, quinquagies quater: quintæ magnitudinis num. ducentæ decem septem, trigiesies quinquies: sextæ et infimæ magnitudinis, numero ducentæ quadraginta novem, decies et octies. Unde colligitur, quod si Deus vellet cuilibet sancto separatim in cælo locum et quasi ducatum assignare, nullum fore sanctum, qui non haberet ducatum vigesies majorem quam sit tota terra. Si enim fingamus totum firmamentum esse undique plenum stellis infimæ magnitudinis, non dubium quin is stellarum numerus æquaret, imo superaret beatorum numerum: quælibet autem earum decies octies terra major est. Quod si tantum est spatium in firmamento, quantum erit in cælo empyreo? Unde merito Baruch, cap. III. exclamat: *O Israel quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus!* Præterea non malum divinamus, sicut cælum superat vastitate terram, sic superare etiam splendore et decore. Nec vane ominabimur, si credamus tertiam nostram habitationem in patria tanto splendidiorem esse secundam, quæ est in exilio, quanto secunda ista, hoc est, mundus, splendidior est prima, quæ nobis est in utero matris, ut sentit Crombecius, de studio perfecto. Tertio, cælorum claritas, subtilitas, agilitas et incorruptibilitas, nonne clare ostendit beatorum corporum dotes? Si enim tantam contulit Deus claritatem, subtilitatem, pelluciditatem et incorruptibilitatem corporibus perituris, et ad solum hominis exulantis et militantis servitium creatis, cur non eandem vel majorem conferendam existimemus corporibus beatorum? Merito ergo de illis ait apostolus, I. Cor. XV. *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis.*

V. Ostendit nobis terrena nostra habitatio, cujus pulchritudinem, perfectionem, amplitudinem, redundantiam, divitias, frequentiam nationum et varietatem inhabitantium, quis est qui non suscipiat et miretur? Quam speciosum hujus domus laquearium aureis ornatum rosas cælum? Quam gratiosa lumina? Quam amœnum pavimentum ex omnis generis floribus, hortis, pratis confectum? Quam varia nationum cubacula? Quam elegantes silvæ, fontes et flumina? Quam pretiosæ gemmæ et metalla? Quam suaves et delicati fructus? Quam multiplicia animalia, quorum alia volant, alia natant, alia currunt, alia repunt? Quam splendida ædificia? Quam mi-

ra artificia? Quam varii inhabitatores? Duces, reges, subditi, etc. Et tamen hæc habitatio ad breve solum tempus pro peregrinis ædificata est: illis enim recedentibus tota dissolvitur, et in cinerem redigetur in novissimo die, uti sacræ literæ docent, quia nimirum cum omni splendore suo non est digna, ut cœli cives eam, non dico inhabitent, sed vel oculis usurpent. Si enim hæc mundi machina faceret ad recreandos aliquo modo beatos, cur eam vastaret Deus et in favillam redigeret? Quæso vos, si princeps alicui domino ad se venturo per mare aut fluvium præpararet navim ornatissimam, plurimis cameris affabre factis, picturis et omnis generis utensilibus, tam quæ ad delectationem, quam quæ ad sustentationem pertinent, instructissima, ut ea vel per unum diem veheretur, et postmodum navis tota destrueretur: quis non inde colligeret ejusmodi dominum a principe in proprio palatio honorificentissime tractandum? S. Porphyrius Gazæorum episcopus cum aliquando Theodosii junioris imperatoris infantem ingenti cum pompa ad sacrum baptismatis fontem deduci cernebat: *Nos* (inquit vitæ ejus scriptor) *mirati tantam gloriam; admirantibus autem dicebat Sanctus Porphyrius: Si ea, quæ paulo post evanescent tantum gloriæ splendorem habent, quantum habitura sunt cælestia, quæ parata sunt sanctis et electis Dei?* Apud Sur. tom. I. in vita. Quapropter non immerito Sanctus Paulus omnia sublunaria in comparatione cælestium: *Arbitratus est ut stercorea.* Nimirum sicut principes delectantur tantum gravioribus, ut venationibus, hastiludiis, etc. non nucibus aut pila, quibus delectantur pueri: ita sancti viri et angeli, quibus cum Deo et divinis tantum est commercium, terrena omnia vilipendunt, nec aspicere dignantur, sed infinita tantum pulchritudine capiuntur et oblectantur, quemadmodum ipse Deus. Mercator, qui pretiosissimas merces habet, solet exponere præ foribus aliquas obsoletas et viles, non ut emantur, sed ut prætereuntes videant eum habere ejusmodi merces venales: empturo profert longe recentiores et præstantiores. Si cum Deus proponit nobis bona terrena, non proponit ut ea emamus, sed ut inde arguamus, quales in penetrabilibus suis merces habeat nobis offerendas.

VI. Ostendunt etiam reprobi, qui in hoc mundo magna cum dignitate, gloria et felicitate degunt. Nero præter nefarium parricidium et alia innumera flagitia commissa primus imperatorum Christianos vehementissime est persecutus, usque ad interuersionem gloriosissimorum apostolorum Petri et Pauli, Decius, Diocletianus Maximianus, Maxentius cæterique veræ religionis hos-

tes, quid non in Deum Deique cultores Christianos machinati fuerunt? Julianus apostata ex tonsurato clerico, religionis christianæ desertor et acerbissimus persecutor, magicis insuper artibus deditus fuit: Valens hæreticus pestilentissimus. Et hi tamen omnes cum ex professo Deum impugnarent, a Deo donati sunt immensis opibus, honore, gloria, splendore, deliciis, ut nihil deesset, quominus vitam agerent suavitatis, dignitatis et voluptatis plenissimam. Imperaverunt orbi, subjectos sibi habuerunt populos ac reges, ad eorum nutum omnia gerebantur. Et quid optare posses in hac vita, quod illis non fuerit concessum? Sed hinc attolle mentem ad alia. Si enim tanta largitus est hostibus, persecutoribus, improbis, flagitiosis hominibus, quæ et quanta putas præparasse Deum diligentibus se filiis charissimis? Dic enim, si reginam lustraturus splendidissimam, et jam jam ingressus videres in atrio humilem in pariete januam, et interrogares, quid hic loci esset; ductor vero responderet, nihil hic videndum, carcerem enim esse, quo victi custodirentur ad supplicium; tu vero instares et ingredi omnino velles; ingressus vero cerneres inibi regias aulas, palæstras, hortos, fluvios, omnia auro, argento, et serico rutilantia, silvas, venationes et piscationes, homines ridentes, ludentes, convivantes, ingenti pompa et comitatu, etc. nonne diceres te deceptum, cum audisti carcerem hic esse? Sed si adhuc a viro fide digno audires: Verum hic carcer est, nam reprobi tantum hic custodiuntur, et hinc unus post alterum ad supplicium educitur; quæ vero visu digna sunt, non hic, sed illic in superiori domo sunt, ibi omnia regalia videbis: nonne tunc dicturus esses: Proh! si hic locus carcer est, qualis erit regia? Quid hic mundus aliud nisi carcer reproborum, unde alter post alterum educitur ad gehennam? Et si splendet ita carcer, quomodo splendet regia aulicorum Dei? Sanctus Fulgentius visa aliquando Romanæ urbis, cum adhuc in pristino flore esset, magnificentia, ad collegas versus in hæc verba prorupit: Quam speciosa esse potest Hierusalem cælestis, si ita fulget Roma terrestris? Et si in hoc secundo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, quænam præstabitur sanctis diligentibus veritatem? apud Sur. tom. I. in vita. Simili modo argumentatus est David, Ps. LXXII. cum ait: *Quam bonus Israel Deus, qui recto sunt corde!* Sed unde hoc colligis? Ex impiorum prosperitate; quia zelavi super iniquos, inquit: *Pacem peccatorum videns.* Unde Aug. lib. XXII. de civit. c. XXIV. ait: *Quid dabit iis, quos prædestinavit ad vitam, qui hæc dedit eis, quos prædestinavit ad mortem?*

VII. Testantur id nobis inferi, ac primo damnati. Si enim Dei inimicis, qui a salute aberraverunt, tam calamitosus debetur inferorum locus, jure debetur Dei amicissimis felicissimus apud superos. Quantam enim peccatum meretur calamitatem, tantam amor Dei meretur felicitatem; ergo si inferis debentur tenebræ, superis debetur lux; si inferis captivitas et vincula, superis libertas; si inferis societas dæmonis, superis societas angelorum; si inferis vermibus rodens, superis pax et quies; si inferis ignis urens, superis voluptas; si inferis fletus et stridor dentium, superis gaudium et risus; si inferis dorsum Dei, superis Dei facies. juxta id Jer. XVIII. *Dorsum et non faciem ostendam eis in die perditionis eorum.* Confirmatur hoc ex S. Jacobo dicente, cap. II. *Misericordia superexcelsat judicium,* id est, vincit judicium. Unde theologorum placitum, Deum præmiare ultra condignum, punire citra condignum. Si ergo tanta est inferorum calamitas, major erit superiorum felicitas.

Secundo, ipsimet dæmones. Refert enim Thomas Cantiprat. l. II. c. LVII. n. LXVII. rogatum aliquando dæmonem, quid pati vellet, ut sibi ad visionem aditus pateret, dixisse se paratum esse tormenta omnia, quibus æternis ignibus destinati cruciantur, sive ii dæmones sint, sive homines, in se unum congesta usque in extremum judicii diem perpeti, modo Dei videndi vel brevissimo tempore potestas fiat. Cæsarius item, lib. V. cap. X. testatur se Coloniam in ecclesia B. Petri præsentem audisse, spiritum nequam de suo ad speratam gloriam reditu interrogatum respondisse: « Si columna quædam ferrea eaque ignita novaculis acutisque calamis undequaque instructa, atque a terra ad cælum usque pertingens staret: ego corpus humanum nactus, in eam insilire volvi ac revolve non formidarem reperemque laniandum, qua ascensu qua descensu, et perpetuo ad finem usque sæculi extremum memet in illas acies induerem, dummodo reditus ad eum statum a quo excidi spes aliqua affulgeret. » Hæc ille. Et tamen in primo illo statu nondum beatus erat. Sed nimirum caveret omnino deinceps, ne a gloria excideret, et deinde quæreret, non per ambitionem, sed per humilitatem, locum inter angelos, vel etiam super illos. Hoc ergo cum jam non illi, sed nobis datur, nos illius exemplo prudentiores, consulamus nobis et ad propositum nobis bravium alacriter contendamus.

Imitemur, quæso, evangelicum negotiatorem et postquam invenimus pretiosam margaritam, et præstantiam ejus intelleximus, demus quæso fluxa, vana et peritura bona omnia pro illa.

Quam felices qui ita sapiunt, quod nobis donet Deus.

CONCIO III

GAUDIA BEATORUM.

I. Gaudium intellectus. — II. Gaudium voluntatis. — III. Gaudium memoriæ. — IV. Gaudium oculorum. — V. Gaudium aurium. — VI. Gaudium cæterorum sensuum.

THEMA.

Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Matth. V.

Ita fere omnes natura comparati sumus, ut voluptate potius trahamur, quam a quo alio bono. Hinc enim ad prophetas dicunt illi apud Isai. cap. XXX. *Loquimini nobis placentia.* Quando igitur, auditores, jucunda potius quam tristia, gaudia quam mœrores, audire vobis placeat. Ecce vobis hodie lætissimum de cælo nuntium, quod ore suo deprompsit Christus: *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Invitami enim hodie ab universo beatorum agmine ad paradysum voluptatis, ad nuptias Filii Dei, ad cœnam Agni, ad gaudium Domini. Omnibus his titulis decoratur regio cœli, vocatur paradysus, Luc. XXIII. *Hodie mecum eris in paradiso.* Quid autem paradysus, nisi hortus voluptatis et deliciarum? Gen. II. § XCIII. Vocatur *nuptiæ*, Matth. XXII. et XXV. Quid autem nuptiæ, nisi festum gaudiis et voluptatibus dicatum? Vocatur *cœna magna*, Luc. XIV. et XXII. Quid autem in convivio magno, nisi cupiditatis et delicti? Nisi musica et hilaritas? Vocatur *gaudium Domini*, Matth. XXV. *Intra in gaudium Domini.* Quis autem tristitiæ locus esse potest, ubi gaudio ambimur, gaudio includimur? Quæ cum ita sint, relinquamus hæc infirma et puerilia, quæ offert mundus gaudia, ad superna contendamus et (quemadmodum orat Ecclesia): *Ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia.* Ea vero nunc ut aliqua saltem ratione possimus delibare, rogemus omnes sanctos.

I. Gaudium est intellectus cum vident Deum: *Facie ad faciem*, ut loquitur apostolus, I. Cor. XIII. quasi dicat: Non per figuras et ænigmata, non per speculum et abstractivè, quomodo eum nos hic cognoscimus, sed in seipso clare et intuitive: *Sicuti est*, ut ait S. Joan. epistola I. c. III. Tria requirit delectatio, quæ percipitur ex cognitione, secundum D. Thomam, II. II. q. XIII. a. V. potentiam intelligentem, unio objecti cum potentia: